



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

Collegii Ethicæ Tractatus Tertius, De Fine & Bono.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)

COLLEGI ETHICÆ

Tractatus Tertius,

De Fine & Bono.

PROOEMIUM.

Finem proprie amamus, proprie volumus :
 media vero, etiamsi illa propter finem
 amare ac velle dicamur, absolute tamen
 non amamus aut volumus : unde qui studet
 ut doctus sit, non studii & lucubrationum,
 sed doctrina amator est : & siquidem doctus
 esse velit, quo Publico proficit, non doctrina,
 sed Reip. amator est ; quod si & prodesse
 volet Reip. ut honores & dignitates in ea
 consequatur, aut opes & divitias, aut ami-
 cos & favorem, jam potius harum rerum,
 quas consequi intendit, quam illarum, quas
 ad illam consecutionem adhibet, amator est :
 atque ita semper finis dat speciem & nomen
 actibus nostris : is proprie à nobis appetitur
 & ama-

E & amatur. Media vero non amamus: saepe etiam secundum se averfamur, & tantum propter finem, ad quem serviunt, apprehendimus ea & utimur: ut aeger sanitatem amat & pharmacum odit per se ac suo nomine, quamvis illud cupiat propter sanitatem. Erit igitur hic tractatus commentarii loco in eos, qui praecessere, & qui sequuntur: cum consideratio finis & mediorum tam necessaria sit in rebus Ethicis. Fini autem bonum conjungitur, imo coincidunt haec ut infra videbimus.

S. I. F.

§. 1. Finis Operis & Operantis.

Finis Operis est id, ad quod res aliqua ex sua natura servit & conducit; ut doctrina respectu studii: nam studium ex natura sua valet ad comparandam doctrinam: Finis Operantis est id, propter quod aliquis operatur: ut cum quis diligenter studet ad assequendam doctrinam: fieri potest, ut Finis operans sit ipsa doctrina. Ex quo igitur etiam exemplo vides eundem esse posse & finem Operis, & Operantis: sed possunt etiam hi Fines admodum diversi esse: veluti cum quis oleum effundit in incendium, putans esse aquam, Finis Operantis est restrictio incendii (id enim Operis intendit istâ suâ actione incendium ut restinguatur) Finis autem Operis est augmentum incendii: opus enim illud, quod ibi fit, ex naturâ suâ intendit ad augendum incendium. Sic etiam tract. 1. de adminiculo Humilitatis satis patet felicitatem Virtuti esse Finem Operis (valet enim ac sola Virtus ad felicitatem conferendam ex naturâ suâ) sed non esse Finem Operantis (vir bonus enim propter felicitatem non operatur, sed propter suam Obligationem.

Hac ergo distinctione interpositâ, mul-
tæ

tas trice expediuntur in verâ illâ & solidâ
sententiâ, quam ibi tradidimus: quæque
ex sacris literis à quibusdam non bene eas
intelligentibus objiciuntur, hac distinctio-
ne adhibita, facile solvuntur.

Inter hos Fines præcellere videtur Fi-
nis operis: hic enim à naturâ seu Deo con-
stitutus est: Finis vero Operantis consti-
tuitur à nobis: unde & res nunquam fru-
strantur Fine operis (ultimo scil. & hic
proprie tantum Finis est) sæpe autem fru-
strantur Fine Operantis: ut cum studetur
ad doctrinam consequendam vel gloriam,
sæpe & doctrinâ pariter & gloriâ frustra-
mur: Finis autem ultimus operis rerum
omnium est Deus: omnia enim sunt &
fiunt ejus gratiâ. (Ut infra videbimus)
hoc autem Fine res nulla frustratur. Im-
possibile est enim fieri aliquid, quod in
ejus gratiam, gloriam & satisfactionem
non cedat.

§. 2. Finis Cujus & Cui.

Finis Cujus est, id, ad quod assequen-
dum adhibentur Media. Finis Cui est
id, in Cujus gratiam adhibentur Media.
V. G. cum quis diligenter studet, Finis
Cujus est doctrina, Finis Cui est ipse stu-
dens,

dens, nam in gratiam sui, & ut sibi doctrinam comparet, studium suum adhibet. Potest quidem hæc distinctio tum in Fine Operis tum Operantis locum habere, V. G. cum senex avarus est & undique divitias corradit: Finis Cui Operantis est ipse senex, qui istis suis sordibus divitias ibi accumulare studet, sed Finis Cui Operis sunt heredes ejus, his enim bene cedit senis istius avaritia: similiter Finis Cui Operis atque Operantis diversi esse possunt, ut patet §. 1. in exemplo ejus, qui oleum in incendium infundit, putans esse aquam. Similiter peccatori Finis Cui Operantis est ipse peccator: ideo enim facinus perpetratur ut sibi bene sit & in sui gratiam peccat; minime vero is est Finis Cui Operis, cum opus hoc non in gratiam ejus, sed perniciem tendat ex naturâ suâ: quis est ergo hic Finis Cui istius Operis? Resp. Deus, in Cujus gratiam velit nolit peccator, tandem ultimo facinus illud, quod magno suo scelere, perpetravit ex natura sua tendit.

Inter hos Fines præcellit Finis Cui: nam Finis Cujus expetitur tantum propter Finem Cui, adeo ut Finis Cujus habeat quodammodo Rationem medii, comparatione factâ ad Finem Cui. Voluntas enim cum

cum jam per medium in Finem Cujus tendit, non ibi sistit (adeoque non est hic proprie Finis & terminus motionis voluntatis) sed arrepto Fine Cujus, tendit cum illo ulterius ad Finem Cui: atque ibi sistit: unde & hic proprie Finis est. Ex quo apparet, quam sint illi turpes, qui suam causam Deum colunt. Hoc enim est pervertere totum rerum ordinem, atque ex eo, qui essentialiter Finis est (Deo) medium facere, ipsumque ad quem omnia destinari debent, ad aliud quiddam (ad se) destinare.

Deus ergo & est Finis Operis & est Finis Cui omnium rerum creaturarum: nam Deum esse Finem, proprietas est ex essentia ejus necessario dimanans, quæ debet ei perfectissimo modo tribui; iam autem perfectior est Finis Operis, quam Operantis (ut §. 1. vidimus) & perfectior est Finis Cui, quam Finis Cujus, imo hic non est proprie Finis, sed medium (ut jam statim videbamus) in eo autem consistit ista Ratio, quod quælibet res, per necessariam consequentiam inferat gaudium, applicationem, & satisfactionem in Deo: Quælibet enim res ab eo facta est, accipitque ab eo regulas optimas, quæ ex dictamine summæ & optimæ mentis (id est, ex ipso Deo)

Deo) profectæ sunt ; agiturque pro conditione naturæ suæ quælibet res in illas regulas peragendas : videt ergo Deus in quaque re quod suum est , quod optimum est atque sapientissimum , ex qua contemplatione necessarium est ipsum affici satisfactione enarrabili.

Finis autem Cui-Operantis solent esse ipsi homines , ipsi Operantes : cum enim ordinario modo agimus , omnia ad nos referimus , & in nostri gratiam omnia facimus. Quamvis enim subinde alium aliquem hominem tanquam Finem Cui respicere videamur , tamen cum ad vivum nos examinamus , facile agnoscimus & istius , sed nostrâ gratiâ fecisse , quicquid fecimus : cecidit V. G. aliquis in aquam , & ipsum , ac summo cum periculo nostro , submergendum salvamus : hic si frontem submergendum illum , quem salvavimus fuisse nobis Finem-cui ; sed si rem penitus perpendas , aut potius , si ipsi nos qui salvavimus , nostrasque cogitationes & animum intime discutiamus , videbimus facile , nos periculum illud non alterius , sed nostrâ gratiâ adiisse , nempe propter gloriam tam strenui fuimus , aut forte propter lucrum

crum vel commiserationem (hoc enim non minus est suâ causâ facere, quam propter gloriam & lucrum : cum miserationi suæ satisfacere velle, non minus sit Philautiæ, quam cuivis aliæ passioni) forte propter occultam aliquam, & cui vix nomen dare novimus, persuasionem, opinionem, existimationem : rarissimum vero est, ut nos Ratio & Divina lex stimulet, solaque ea sit causa actionis nostræ. Ordinarie enim splendore illo honestatis, qui in Officio Virtutis relucet, contenti sumus & nobis abblandimur, Virtutem ipsam non magnopere curamus.

Hinc facile videas quæ parentes propter liberos facere, alique inter homines devinctissimi propter necessarios suos agere videntur, ut plurimum propter se agere, & à parte rei nihil aliud est agere propter se ipsum, quam passionibus suis velle satisfacere.

Ex quo & hoc liquet, omnes fere actiones nostras improbas esse & peccare contra decretum humilitatis.

Vir autem bonus Finem Cui habet suarum omnium actionum, non se (hoc enim ad philautiam & peccatum pertinet) non Deum (hoc enim esset actum agere : & velimus nos atque nolimus, Deus necessa-

d

rio

rio Finis Cui est omnium nostrorum operum) sed legem Dei, & hoc quodam modo: qui modus explicabitur §. seq.

§. 3. Finis Beneficentia & Obedientia.

Hæc distinctio est Finis Cui: subinde enim aliquid appetimus alicui ut bene sit illi; subinde autem id præstamus, quod jubet, moti scil. iussis ejus sine ullo ei benefaciendi proposito: priori casu ille Finis est Beneficentiæ, posteriori casu Obedientiæ.

Finis Beneficentiæ est proprie Finis Cui, proprieque in gratiam ejus agimus, proprie illum amamus, sed Finis Obedientiæ non tam proprie est Finis Cui, nec illum qua talem diligere aut amare dicimur; sed potius eum; in cujus gratiam ac favorem iussa ejus exsequimur: sic servo herus quidem est Finis Obedientiæ: sed non proprie Finis Cui; servus enim heri sui mandata non exsequitur in gratiam ipsius Heri, sed in suam gratiam, ut sibi bene sit, vel ne male sit. Sic & magistratui parent cives, etiamsi sciant magistratui non prodesse, si ita fecerint ut iussi sunt, nec obesse, si secus fecerint, sed se quidem præmiandos, si legibus optempe-

temperarint, puniendos, si contravenierint. Quo casu clare videmus, Magistratum quidem esse Finem-cui-obedientiae, nullatenus vero Beneficentiae, sed eos, qui obediunt, habere Rationem huius Finis. (Unde nec servi heris suis inter homines, nec Magistratibus suis servire solent (quantum ad intentionem, quæ hic utramque paginam facit, attinet) sed horum quisque serviet sibi, sed homines tali exteriori servitute contenti esse possunt, utpote, qui magis actum, quærunt quam animum, magisque cupiunt, quam Obligationem. Sed dum simile quid ad Deum & ejus legem refertur, non nisi ineptissimum hoc esse intelligi potest: Velle itaque Deo parere ut tibi bene sit, non est Deo servire, sed tibi; externâ autem ista servitute, qua homines contenti esse poterant, Deus contentus esse non potest, sed requirit ut verus Dominus, ita etiam veram in nobis servitutem.)

Inter hosce Fines, qua sunt Fines Operantis, præcellit Finis Beneficentiae: nam is magis proprie Finis est, magisque propter illum Operantur homines: ut servus in exemplo posito, magis Finis est earum actionum, quas præstat, quam herus, ut

bene rem examinanti clarum evadit, servum eo casu magis propter se, quam propter herum suum, magisque sibi quam heri servire.

Considerando vero substantiam istorum finium, seu eos ipsos, qui vel *Finis Beneficentiae* vel *Obedientiae* esse dicuntur, longe nobilior & dignior est *Finis Obedientiae*, quam *Beneficentiae*: nam *Finis Beneficentiae* supponit aliquam imperfectionem: indigeat enim re aliquâ necessum est, cui beneficium fieri possit, & cum ad alios ista referuntur, oportet ut te inferior sit, cui benefacere possis: inferior inquam, in isto casu, istoque negotio, in quo beneficium à te sit accepturus, nam potior est persona Patroni quam clientis, & dantis beneficium, quam accipientis. Sic etiamsi princeps medico præstet in rep., tamen quatenus ille vel ægrotat, vel certe morbis obnoxius est, adeoque opis medici indigus, beneficiique ab eo conferendi capax: eatenus Medico inferior est, ut per se notum est ex prædicto axioma.

Si quis ergo alteri benefacere velit, nunquam id facit sine aliqua ejus nota: nam ad minimum se semper effert in illo negotio, ad quod beneficium pertinet, supra

pra ipsum : hinc etiam superbi & impo-
tentes quidam ægre ferunt , si iis operam
nostram etiam humanitate summâ addica-
mus : Vident enim , quasi tacite indigen-
tiam suam nostri , & superioritatem ali-
quam induci eorum , qui se beneficium
collaturos pollicentur ; in quo quidem in-
eptissima impotentia atque impudentia
est : Homines enim omnes ita sumus
comparati , ut facili negotio , usui , &
auxilio nobis esse , & posse debeant alii ,
adeoque mille casus sunt , in quibus etiam
abjectissimus homo cuivis alteri prodesse
possit , & hætenus etiam superior eo atque
major & dignior fit , juxta irrefragabile
axioma : *Potior est persona benefactoris ,
quam ejus , qui beneficium accipit.*

Hinc interim collige , quam sit præpo-
stera quorundam Pietas Deo ipsi gratifica-
ri ac benefacere volentium : quam ipse
met Christus Pietatem in sacris suis literis
improbat , dicens : *Amici mei estis , si fece-
ritis ea , quæ dico vobis : noli , inquit , mihi
gratiam aliquam aut beneficium velle im-
partiri , summus amor tuus erga me in eo
sit & versetur totus , ut facias quod ego ju-
beo : altius ad me pertingere non potes.*

Petes ergo ad quem ex duobus hisce fi-
nibus Deus pertineat ? Resp. cum hi Fines
d 3 (Obe-

(Obedientiæ, inquam, & Beneficentiæ) intelliguntur de fine Operis: Deus est Finis Beneficentiæ omnium rerum: omnia enim naturaliter & summa necessitate tendunt in ejus gratiam & favorem & satisfactionem: cum fiunt, cum sunt, cum esse desinunt. Similiter ipse est Finis Obedientiæ in eodem genere, omnia enim exequuntur decretum & judicium voluntatis ejus: estque tam impossibile, si liceat ita dicere, Dei voluntatem effectu suo, quam montem sua valle destitui; si autem hi fines referantur ad operantem, Deus non potest esse Finis Beneficentiæ potenter moralis, qui per licere exponitur: id est, non licet Deum ponere Finem Beneficentiæ; ut satis patet ex iis, quæ mox dicebamus: similiter nec propriè potest esse Finis Obedientiæ: nam velle ei, ut in se est obedire, est actum agere, & velis nolis, obedies, seu facies, quod ipse absolute vult; per accidens tamen, & quodammodo Deus est Finis Obedientiæ, gratiâ nempe legis & Rationis suæ, quam nobis inculcavit: Huic enim proprie obedimus cum boni sumus: cum verò mali sumus, etiam ipsi Deo obedimus, sed non ejus legi: Vide Tract. I. §. 11. Cum interim Lex Dei à Deo sit, cum legi ejus obedimus, videtur

demur quodammodo etiam ipsi obedire, potiori Obedientiâ, quam mali, qui legem ejus negligentes, faciunt tamen vel inviti hoc unum, quod ipse vult.

§. 4. Finis Ultimus & Subordinatus.

Finis Ultimus est, qui in alium Finem non ordinatur: Subordinatus, qui in ulteriorem Finem Subordinatur. V. G. Cum quis studet, ut honoretur, & doctrina ac scientiis existimationem sibi compareret apud alios, Finis quidem istius studiî Subordinatus, est doctrina (dirigitur enim in alium Finem, nempe honorem, quandoquidem is, qui ita studet, non simpliciter, quo doctus sit, sed quo ob doctrinam suam honoretur studeat) Finis autem Ultimus est honos; illum enim (ut suppono & fieri solet) non destinat studiosus ille in ulteriorem finem.

Inter hosce Fines sine controversia præstantior est Ultimus: imo Finis Subordinatus non est Finis, sed medium: ut in exemplo posito, doctrina assumitur tanquam medium ad acquirendum honorem. Ex quo etiam sequitur, nos Finem Subordinatum non absolute velle, nec absolute amare: voluntas enim & amor

versantur proprie circa Finem, & in eo haerent; media vero non tenent voluntatem, sed habent se veluti viam, per quam voluntas fertur in Finem: unde in exemplo proposito studiosus ille non amat doctrinas & scientias, sed honorem.

Finis Ultimus & Subordinatus etiam habent locum in Fine Operis & Operantis, item in Fine Cujus & Cui: sic Liberi sunt parentibus Finis Cui multarum actionum, sed Subordinatus: nam ipsi sunt Finis-cui-ultimus, & beneficium, quod liberis suis impartiunt ad se rursus referunt: benefaciunt enim his propter se ipsos: sic & Vir Bonus potest sibi ipse esse Finis Cui, sed Subordinatus: potest enim ea curare, quæ ad commodum & voluptates suas spectant. (Vide Tract. 1. §. de humilitate Sect. 2. 1.) modo tamen illa curet propter ulteriorem finem, & tandem propter Ultimam illum Finem Obedientiæ, Deum scilicet & Rationem.

Ex dictis clare sequitur, Deum absolute esse Finem Ultimam, idque præstantissimo modo: nam ipse est Finis Operis (hic autem præstantior est Fine Operantis) ipse est Finis Cui (hic autem est præstantior & verior Fine Cujus) *Ipsè Deus est Finis Beneficentiæ & Obedientiæ rerum omnium*

nium. (Hinc veteres benedixerunt,,
Deum esse amorem naturæ, id est, Deum
esse id, quod omnes res naturali & fatali
necessitate amant (sive interim etiam
quædam res hoc velint sive nolint) nam
omnis actio talis est naturæ, ut de se ten-
dat invicto impetu in ejus satisfactio-
nem.) Et in his omnibus etiam Ultimus
est, hoc ipso, quo omnia omnino propter
ipsum sunt. Deus tamen non est semper
Finis Ultimus Operantis: nos enim etiam
si actio nostra in se semper propter Deum
fit; non semper tamen propter illum seu
legem ejus agimus. Imo proh dolor!
raro admodum sic agimus, ut satis patet
ex ante dictis.

§. 5. Bonum & Malum.

Bonum est, quod amamus, Malum
quod averfamur, unde Bonum & Ma-
lum sunt denominationes externæ, & for-
maliter nihil ponunt in re illâ, quam de-
nominant, sicut videri & audiri &c. Si-
miles denominationes sunt, quod ex eo
etiam patet, quod quæ uni bona sunt, alte-
ri sæpe mala sunt, quod imprimis in bonis
jucundis manifestum est: nam qui unius
palato sapidus sunt cibi ac potiones, ad al-
d s terius

terius palatum non faciunt : imo etiam hoc habet locum in bonis honestis, & quæ uni honesta, alteri sæpe turpia sunt: ut reum capitalis criminis convictum iudici occidere licet, privato non item, quodq; huic turpe foret, illi honestum est.

Sed difficultas est, quomodo id Bonum esse dicamus, quod amamus, id Malum, quod averfamur, cum homines sæpe amant ea quæ noxia sunt & mala, oderint vero, quæ bona sunt & opportuna? Respondetur imprimis diversos esse amores: præcipue vero ad duos revocantur, nempe ad amorem Dei, & amorem mei, seu ad Virtutem & Philautiam: quod Virtutem amamus, honestum est, quod Philautiam jucundum. Fit ergo ex facili, ut quod uno ex istis amoribus amamus, id si ad alium amorem comparetur, illum minime mereatur, sed potius odio isti Amori opposito dignum sit. V. G. Temperantibus intemperantes dicuntur amare noxia & mala: nam hi respiciunt amorem suum Obedientiæ, quo temperantes & boni sunt: videntque ea, quæ intemperantes appetunt minime talem amorem mereri, adeoque non esse bona; mereri vero odium & execrationem isti Amori oppositam, adeoque esse mala, turpia & rejicienda.

cienda. Contra vero intemperantes dicunt viros Bonos amare mala & noxia, quia hi respiciunt suum amorem, nempe amorem concupiscentiæ, quem non merentur ea, quæ faciunt boni: cum hi contemplatione Rationis honores negligant, fortunas suas nonnunquam pessum dent, & in magnas calamitates atque incommoda corporis præcipitent: Verbo, quod Bonum honestum est, potest esse Malum injucundum: quodque Bonum jucundum est, potest esse Malum turpe; & hoc sensu amare sæpe dicuntur homines, quod Malum est, Bonum quidem est, quia amant, Malum vero, quia alio genere amoris non amatur, sed potius rejicitur.

Secundo etiam in eodem genere amoris, homines dicuntur aliquando amare, quod Malum est, & odisse quod Bonum est, quia nempe amant aliquando id, cujus si circumstantias alias perspectas haberent, utique non amarent, sed execrarentur: ut pueri catapotia inaurata amant, voluntque ea comedere, quorum si amaritudinem scirent, minime id vellent, sed detestarentur, ut etiam faciunt, quam primum in ore admissa amaritudinem prodere cæperunt: Idem facile contingit in rebus honestis, ex Ignorantia invincibili, de
d 6 qua

qua infra dicemus : sed in his omnibus observandum est , non esse prorsus idem quod amatur & Malum : ut in exemplo proposito pueri splendorem amant , & is Bonus est , seu Bonum jucundum : amaritudinem , quam ignorant , quæque Malum injucundum est , ita scil. ut Bonum non possit odio haberi nec Malum amari , cum loquimur de eodem genere amoris & odii , de eadem re objectâ , quæ vel amatur , vel odio habeatur , sitque vel bona vel mala.

Bonum in usitatâ distinctione in Utile , jucundum & honestum dispescitur : bene an male, infra videbimus.

§. 6. Bonum Utile.

Utile est medium boni : id est , tale aliquid , quod servit & conducit ad assequendum Bonum seu id quod amamus : ut si Doctrina Bonum sit , seu amamus illam , studium erit utile , quia eo servit & conducit naturaliter ut docti evadamus. Similiter , si in tempestate salus bona sit Mercatori (ut esse certe solet) Utile erit merces ejicere in mare : hoc enim servit & naturaliter conducit ad salutem , seu ut ipse cum navi sua salvetur.

Ex

Ex his clarè patet Bonum Utile non esse Bonum : non amatur enim per se & suo nomine ; sed ad summum per accidens & propter aliud aliquid amari appetique dicitur : hinc etiam Finis Cujus non est absolute Bonus , sed ad summum Utilis : ostendimus enim jam ante eum esse duntaxat medium aliquod ad Finem Cui : Ex quo item hoc sequitur, eos, qui Deum faciunt Finem Cujus , se ipsos Finem Cui (ut qui omnia quærere se dicunt, ut Deum ipsum sibi assequantur, à quo æternum beandi sunt) non habere Deum in Bonis : habent enim eum tantum in Utilibus, Utilia vero non sunt bona , ut ostendimus, sed conducunt ad bona.

Petes ergo an Utile & medium sint idem : item an Finis & Bonum sint idem ? Respondeo ad posteriorem quæstionem, infra dicam ad priorem Respondeo autem negative : Medium enim ad ea etiam est, quæ non amamus : ut mala dieta medium est ad morbum, mala dieta tamen non absolute Utilis dicitur, sed potius inutilis & noxia : plus ergo requiritur ad Utile, quam ad medium, nempe sit medium boni, seu ad acquirendum id, quod amamus. Quia vero res omnis ultimate in Deum tendit, ceditque in ejus gratiam atque favorem,

vorem, hinc etiam res quælibet eatenus est Utilis, & verum est illud: *Deus & natura nil frustra, nil inutile fecerunt*, quod scholis adeo decantatum est.

Intelligitur ex dictis etiam quale medium intelligatur in definitione Utilis: cum enim medium totidem dicatur modis, quot Finis; aliudque proinde sit medium Operis, aliud Operantis (prout scilicet res vel ab Operante in certum Finem destinatur, vel naturâ suâ ad illum tendit & conducit) intelligitur, inquam, in definitione, medium Operis: nec ad Utile sufficit, quod sit medium Operantis: Operantes enim in Finem destinant sæpe media prorsus inutilia: ut qui oleum conjicit in ignem, putans oleum illud esse aquam: Medium hic est Operantis, ut restinguatur flamma, sed quia non est medium Operis, hinc inutile, non vero Utile vocatur.

§. 7. Bonum Jucundum.

Bonum Jucundum est, quod amamus amore passionis: ut valetudo, robur &c. quas res secundas præcedenti Tract. 2. vocavimus: ex quo patet Jucunditatem etiam circa honestatem, imo etiam Utilitatem versari; multa enim jucunda nobis sunt,

sunt, quia honesta multa, quia Utilia, & amor passionis cum omni vero amore (qui in proposito consistit) & jungi potest, & plerumque etiam jungitur.

Non requiritur igitur ad Bonum Jucundum verus aliquis amor, quo ipsum amplectamur: nam hi etiam summam lætitiã & Jucunditate affluunt, qui nullum propositum habent Jucunditatem illam sibi comparandi (quales sunt omnes boni) potest tamen verus aliquis amor circa Bonum Jucundum versari, sed is omnis amor concupiscentiæ est, quo Bonum aliquod tibi velis, & sic amatur ab omnibus malis.

Quia igitur boni nullo vero amore erga Bonum Jucundum ducuntur (nullum enim habent propositum illud sibi consequendi) hinc merito dicuntur delicias & voluptates, & generatim res secundas in Bonis non habere: mali vero quia jugiter propositum habent res secundas sibi comparandi, hinc merito dicuntur, solas voluptates in bonis habere.

Patet ex jam dictis, quod proprie Bonum Jucundum non sit Bonum, non amatur vero amore, sed tantum passionis, & per illum in esse suo constituitur: proinde sicut amor Passionis, non est proprie amor (ut Tract. 1. sub initium vidimus) sit Jucundum,

cundum, quod illo amatur, non est proprie Bonum: & licet ab improbis subinde vero amore ametur Bonum Jucundum, ne quidem tamen tunc proprie amatur, nec verus ille amor in ipsum proprie cadit, etiamsi enim improbi voluptates appetere dicantur, cum tamen voluptates seu res secundæ non sunt hic Finis Cui, sed tantum Cujus; ipsi vero Improbi Finis Cui sint, patet inde satis, Bonum Jucundum solum ut Utile ab illis amari (hoc vero non est proprie aut Bonum esse aut amari) ipsos verò verè & propriè à se ipsis amari. Quare verò abstineant homines tali phrasi, & cum amore concupiscentiæ feruntur, non dicant se ipsos se amare, cum tamen ipsi sint Finis Cui, sed potius amare se res secundas, quæ tantum sunt Finis Cujus, diximus aliquid in annotatis ad Tract. i. propè ab initio.

§. 8. *Bonum Honestum.*

Bonum Honestum est, quod amamus quia Ratio jubet: amamus, inquam, amore Obedientiæ: atque adeo non est aliud, quam quod parati sumus exsequi eo, quod Ratio jubeat. Ex quo etiam patet, Bonum Honestum constitui per talem

talem amorem, quo non tam ipsum (utpote quod solum est Finis Cujus) quam Ratio amatur (hæc enim est Finis Cui Obedientiæ in isto amore, quo Honestas constituitur) ita ut vir probus actiones suas ex decreto Rationis exercitas (quæ solæ sunt propriè Bonum Honestum) non amet, sed Rationem eas actiones Imperantem. Ratio autem est lex & imago Dei in mentibus nostris, quam proinde Vir Bonus amare non potest, nisi Deum ipsum quodammodo amet. Sicut qui legem principis, quam edixit & promulgavit obediendo amat, magis amat decretum in animo principis conceptum, quam legem illam, quæ in tabulis exarata est: sic vir probus magis amat Rationem, quatenus lex Dei est, & à Deo concepta, ab eoque emanans, quam quatenus in se est, seu quatenus in ipso Viro Bono residet; jam autem decretum illud quatenus in Deo est, à parte rei ipse Deus est, & sub hoc modo Deo etiam & non tantum Rationi Vir Bonus obedit. Ex dictis patet duo tantum amari ab hominibus: nam aut se amant aut Deum. Amor Dei ad Bonum Honestum refertur, Amor sui ad Bonum Jucundum: nam Honestatem cum amamus, Deum quodammodo amamus ut jam vidimus:

dimus : Bonum autem Jucundum amantes, nos ipsos amamus, ut præcedenti §. vidimus : Bonum autem Utile non amatur, ut §. 6. satis ostenditur.

Ideoque duo tantum sunt bona, *Nos & Deus*. Deus quidem vere & per Honestum amorem, nos autem falso & per perversum amorem, aut saltem non per amorem proprie dictum, quæ omnia satis patent ex dictis.

Sed quid de Amore Benevolentia dicendum ? Videtur enim hic etiam posse dari Rationem Boni alicui, quod Bonum Amicum vocari potest. Respondeo hoc saltem objectione ista effici, ut scholæ, quæ tria bonorum genera, id est, *Utile, Jucundum & Honestum* recensent, quartum, nempe Bonum *Amicum* omiserunt : est igitur Bonum Amicum, quod amamus amore benevolentia, sed re bene examinata, nullum est tale proprie loquendo : si enim habeas propositum benefaciendi alteri (quo casu alter ille Bonum amicum dici potest) vel concipis illud propositum ex præscripto Rationis, vel citra tale præscriptum : si illud, jam amor tuus non proprie tendit in eum, quem amicum dicis, sed in Rationem & Deum (semper enim ad Finem Ultimatum attendendum est,

est, cui soli amor dat Rationem boni.)
Si hoc, jam ex libidine agis, & quia tibi
sic placet agere: adeoque is quem ami-
cum vocas, non constituitur in Ratione
boni per tuum Amorem, sed tu te ipsum
in Ratione boni per tuum illum amorem
constituis: amorque tuus, qui benevolen-
tiæ esse videbatur, re penitus discussâ, to-
tus concupiscentiæ est.

Ex dictis etiam patet, quam graviter
peccent mali, ut qui se ipsos eo ponunt
loco, qui Deo proprius est. Solus enim
hic est Bonus, atque hi non illum, sed se
bonos esse volunt, dum se amant, non il-
lum; amare enim & habere pro bono, &
Amor quantum de se est, Bonum consti-
tuit, ita ut cuique Bonum id sit, quod
amat.

ETHI.